



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Doctrina Theologica D. Gummari Huygens In Quibusdam Speciminibus Exhibita**

**Amstelbeeck, Rudolf von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

§. 2. Doctrina D. Gummari Huygens circa Decreta Pontificum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39044**

De Militibus vero sub Rege merentibus, in Compendio damnato ab Alexandro VIII. pag. 41 42. hæc dat. Non excusamus equidem eos, qui cuilibet Principi (etsi Christiano, imo Catholico) bellum gerenti eo modo, quo hoc tempore solet, ad militiam sese offerunt cum indifferentia, nisi quod illorum partes amplexari eligant, qui plus aut promptius solvunt. Unum hic Animadverto, quod Christiano & Catholico scribat per magnum C. videat Lector, quos denotet.

## §. 2.

*Doctrina D. Gummarii Huygens  
circa Decreta Pontificum.*

**T**ertiâ Septemb. 1682. Impertinenti  
3. hæc in Collegio Pontificio præ-  
ses sustinuit. Si ob Decretum Alexandri VII.  
quempiam accusandum putes, quod teneat sensum  
ab Authore ibidem nominato intentum, tria tibi  
probanda incumbunt: primum, quod Author iste  
hunc sensum, de quo accusare vis, intenderit:  
secundum, cum non omnis istius Authoris sensus sit  
condemnatus sed aliquis tantum; probandum tibi,  
quod hic determinatè sit condemnatus. Tertium,  
quod hunc intentum & condemnatum teneat ille,  
quem



quem accusas. An hæc eò non tendunt, ut & sensum Jansenii ipsum possit in omnibus sequi, nec tamen de damnato convinci?

Quintâ Februarii 1683. Conclusione I. præfedit ibidem huic: Novi ego quibus displiceat, resuscitari antiquam contentionem de sensu Cornelii Jansenii: quod me attinet, ob religiosam observantiam, quam illis debeo, firmiter statui, ea de causa Jansenium ( idem dico de Baio ) non solum in hisce Thesibus, sed & in nullis aliis ne nominare quidem. Quo fucus hic spectet, per se patet; cum nec ipse, nec ullus ejus factionis adduci possit, ut propositiones, quæ ab Innocentio X. & Alexandro VII. ut hæreticæ in sensu Jansenii sunt proscriptæ, in sensu ab Authore intento hæreticas esse profiteatur.

In Compendio reimpresso 1684. Pertinenti ( quod vocat ) 50. pag. 322. Vix, ait, est possibilis casus, quo dentur rationes sufficientes, saltem in persona privata, ad dispensandum in voto perpetuæ castitatis. Constat interea, Summos Pontifices plus vice simplici in eo voto cum personis privatis dispensasse.